

neficis mulieres, quibus incumbit, immittit, habeat virtutem, ut possit justam exercere operationem? Quod nos solidè negamus, & ad probationem Delrii dicimus; Neutrum corpus ab ipso abductum posse retinere virtutem *πλασικὴν*: non enim aereum, quippe quod non ita potest condensari à Diabolo, ne Spiritus transeant & frigus externum Semen: aliundè arreptum corrumpat. Nec in hisce corporibus, ut putat Delrius, potest ejusmodi qualitatem materiale seu calorem producere, qualem requirit Semen: Calor enim uterinus ab animâ vegetativâ solùm efficitur. Vid. Scheibl. l. ii. Met. cap. IV. Art. 2. Nec nuper demortuum ac ab eo in lucem reductum, quia itidem calore destitutum, & quod maximum, deinde non potest in masculum reformari, quod ipse concedit Delrius Lib. II. Mag. Disquisit.

§. 10. Similiter ad exempla è Boethio adducta facilis est responsio. Ut enim taceam, exempla hæc subolere figmentum Pontificiorum ad Exorcismum & Jejunium stabiliendum excogitata. Dico: si Vox Incubi & succubi sumatur in primâ significatione, sicuti sumi videtur in Historiis ab eo adductis, eam non admittimus, ut supra §. 7. pluribus Veterum sententias destruximus. Si autem sumatur posteriori modo, itidem non procedit, sicuti præced. §. fuit demonstratum. Quocunq̄ue ergò sese vertat autor ille, nihil pro suâ obtinet assertione. Coronidis loco dicendum est circa hanc quæstionem: Dæmones in hisce & similibus casibus si succumbant, species tactiles producere in Masculo incumbente, ita ut resistantiam imprægnanti corpori offerant, usque dum generationis pruritum Viri persentiscant: in Fœminis autem aliud quoddam instrumentum generativæ corporis parti non ab simile (venia sit castis auribus) applicare, perque hoc
volu-